

DE
SIGNO ET
SIGNATO

PRÆSIDE

SEBASTIANO EDZARDO

PROF. PUBL.

IN COLLEGIO DISPUTATORIO DISSERET

JOACHIMUS FRIDERICUS
HOLBECK

SVERINENSIS

OPPONENTIBUS

PETRO PETERSENIO

ET

ESDRA HENRICO EDZARDO.

D. 10 Julii. 1717. Hora IX.

HAMBURGI,

Philos.

B.

204,44

OPIS CONRADI NEUMANNI, SENATUS ET
GYMNASII TYPOGRAPHI.

er. Log. Fusc. V1 6 9.

VIRO

Plurimum Reverendo, Amplissimo, Doctissimoque,

**DN. NICOLAO
STAPHORSTIO,**

Pastori ad D. Johannis

meritissimo, fidelissimoque:

Nec non

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, Doctissimoque,

**DN. JOHANNI
LANGHANSIO,**

J. U. Doctore celeberrimo, & Reipublicæ

Hamburgensis Senatori ac Proto-Scholarchæ

spectatissimo, meritissimoque:

Patronis omni venerationis cultu prosequendis,

Has studiorum suorum primitias decenti obser-
vantia submisit

offert

Respondens.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



I. N. D. N. I. C.

Thesis I.

Inter Signum & Signatum datur respectus.

Annotationes.

(1.)

Patet id ex ipsa definitione signi. Etenim signum est, quod potentiae cognoscenti signatum repræsentat, vid. Weiffii Metaph. p. 265.

(2.) Non autem respectus hic statim prædicamentalis est, sed sufficit esse transcendentalem, vid. ib. p. 256.

Thesis II.

Quæ naturales habent causas, ea ad magni momenti res designandas Divinitus adhiberi nil vetat.

Annotationes.

(1.) Iris naturales habet causas. Placuit tamen DEO, eam constituere signum fœderis de universali diluyio terræ nunquam iterum immittendo.

A 2

(2.) To-

(2.) Tonitru itidem ex naturalibus caussis prognascitur. Cum vero Berolini Anno 1577. Formula Concordiæ inter ardentissimas preces in Synodo septingentorum Ecclesiis Scholisque inservientium Virorum ad examen revocata, exemptisque scrupulis summo omnium consensu approbata esset, nemini dubium fuit, quin auditum in solenni gratiarum actione tonitru admodum memorabile Divinæ Providentiæ signum indiciumque præberet. Videatur B. Rangonis *Barhaffte Erzählung des Ursprungs/ Fortgangs/ und Ansehens der Concordien-Formul*, p. 179. Pio nimirum voto se & posteros suos obstringebant Marchiaci, quod veram doctrinam Formula Concordiæ ex verbo DEI compræhensam constanter amplecti, & nunquam ab ea discedere velent. Itaque DEUS tonitru commonefaciebat Ecclesiam, se publici illius solennisque voti testem fore, & tonitru verbi sui daturum robur, nec impune laturos, si qui sanctissimum illud votum in Hæreticorum & Syncretistarum gratiam olim rescindere, & Concordiæ Formulam Scripturæ omni ex parte conformem ex Librorum Symbolicorum numero in Marchia eliminare conarentur.

(3.) Elegantissimus Halo, A. 1592. 5. Martii hora 8. matutina Wittenbergæ visus, naturalibus caussis non caruit. Quandoquidem vero durante Concione, qua Georgius Mylius præsentem Friderico Wilhelmo Administratore, Templum Omnium Sanctorum in arce Electorali, a Calviniano veneno & fermento Dominica Lætare per DEI gratiam repurgabat, se conspicendum præbuit: manifestum Divini favoris signum interpretati sunt sapientissimi & a vulgi superstitione remotissimi Viri. Unde & B. Mylius sive Müllerus non dubitavit, Titulo Concionis editæ sequentia inferere: *Sampt angehängten Gnaden-Zeichen/ welches zwischen wählender Predigt am hellen Himmel / umb die Sonnen/ der gnädige Gott / setzner Rechtgläubigen Kirchen zu Trost / sowol auch Christlicher Oberkeit/*

Oberkeit/ zu Bestärkung ihres Gottseligen Eysers öffentlich hat
scheinen und leuchten lassen. In fine Homiliæ exhibetur figura
Halonis, addita B. Lutheri regula in Cap. IX. Genes. *Pro-*
pria signorum natura est, ut consolentur, non ut terreant; Solcher
Zeichen eigentliche Art ist / daß sie trösten / nicht daß sie schrecken.

(4.) Figura crucis, quæ instar fulgidissimi luminis
A. 1684. mense Januario Lunam pertransiit, naturalium
causarum expers non fuit. Interim eventus clare luculen-
terque docuit, haud vanum fuisse omen præfagiumque victo-
riarum, quas Christiani insequentibus annis a Turcis repor-
tarunt. Vid. Chronica der merckwürdigsten Welt- und Wun-
der-Geschichte/ so sich im Jahr 1684. zugetragen/ p. 15. 16.

Thesis III.

*In signato investigando argumentationes a simili & ab
exemplo non parum valent.*

Annotationes.

(1.) Proxime elapso A. 1716. d. 17. Mart. & 17. 18. & 19. Aprilis,
non modo Hamburgi sed & passim in Germania, ac sigil-
latim in Hassia, quin & in Anglia Scotiaque fulgor apparuit,
qui spectatores in admirationem traxit, multis etiam me-
tum incussit. Erant, qui nescio quæ bella calamitatesque
portendi opinarentur. Aliis nihil ominis inesse videbatur.
Ita enim secum ratiocinabantur: In Dania, Norvegia,
Suecia septentrionale lumen (vulgo das Nordlicht) persæpe
conspici: Proinde frustraneo labore se macerare, qui in hoc
fulgore aliquid mysterii quærerent.

(2.) Quamvis autem in Suecia, Dania & Norvegia fre-
quens admodum sit septentrionalis fulgor, apud nos tamen,
apud Hassos, & in Anglia rarius apparet. Nimis longe
ergo petita erat ista illatio, nec eo valere poterat aut debe-

bat, ut tam illustre phænomenon omni significatione vacuum censeretur.

(3.) Nemo est, qui ignoret A. 1517. lumen Evangelii ministerio Lutheri iterum effulsisse. Tanti Divini beneficii secularis memoria iterum instabat. Placuit adeo Supremo Numini, ut Jobelæum proxime præcedente anno cœlesti fulgore admonerentur homines, veræ & salutaris doctrinæ splendorem non contemptim & negligenter, sed omni acie ingenii totaque mente & cogitatione contemplandum & expendendum esse. Præbet hoc argumentum nobis comparatio rerum similium, augetque & intendit vim ejus, quod A. 1707. adeoque decennio ante Jobelæum nostrum admirabilis itidem fulgor Berolini Stendaliæque visus fuerit, cujus gemina descriptio triplici Calendario A. 1708. subjuncta est a Gottfrido Kirchenio Regiæ Societatis Borufficæ Astronomo ordinario. Quin & literis Pragmaticis nuntiabatur, hoc ipso A. 1717. nocte inter 11. & 12. April. intercedente insolitum atque ingentem splendorem Edenburgi in aere observatum.

(4.) Argumentationi a simili cognata est argumentatio ab exemplo, vid. Log. Hamb. p. 485. Constat autem, A. 1530. Confessionem Augustanam Imperatori Carolo V. exhibitam fuisse. At præcedente A. 1529. 9. Jan. hora 7. vespertina Lubecæ visum est lumen, quod Pomeraniam, Meckelnburgiam, Marchiamque peragravit, conf. Conradi ab Höveln *Herrlichkeit Lübeck's* / pag. 37. 38. Nec est cur dubitemus, quin Splendor ille Confessionis Augustanæ, (quæ DEO propitio semper Augusta manebit) prænuntius fuerit. Sic quoque nullam dubitandi causam habemus, superioris anni splendorem ad imminens Jobelæum respexisse.

(5.) Gaudemus adhuc DIVINA benignitate luce Evangelii. Excitat nos cœlestis iste fulgor, ut serio gratias agamus DEO pro ineffabili beneficio, nec præstantissimum veritatis

ritatis

ritatis lumen cum densissimis Papatus, Calvinismi, Pietismi & Syncretismi tenebris perdita levitate commutemus. Habuit Marchia, habuit Hassia, habuerunt aliæ regiones olim idem Evangelii lumen, sed amiserunt ex parte, Sacramentarismi, Syncretismi & Pietismi caligine passim irrepente. Qui puritati cœlestis doctrinæ ibi adhuc ex animo assentiuntur, eos ad constantiam hortatur fulgor, ne persecutionibus & calamitatibus fracti, vel blanditiis falsorum Doctorum circumventi, in umbram mortis præcipites ferantur. Qui vero variorum errorum tenebris jam sunt immergi, eos reputare par est, quantam jacturam fecerint, & quam imprudenter sibi consulant, dum incorruptæ veritatis studiosos premunt & insectantur. Anglia lumen Evangelii quondam ex scriptis & discipulis Lutheri hausit: eadem felicitate potita olim est Scotia, in qua Patricius Hamilton, Vir multas insignesque familias paterna maternaque nobilitate complexus, supremisque in Ecclesia dignitatibus destinatus, Lutheri doctrinam edisseruit, sanctoque martyrio obsignavit. Videatur Gilberti Burnetti Abridgment of the History of the Reformation P. I. pag. 265. 266. Sed nunc proh dolor loco suo motum est & Angliæ & Scotiæ candelabrum, totaque Britannia versatur in fundamentalium errorum tenebris, ut vix tenues quædam pristini luminis reliquiæ supersint. Utinam recogitaret aliquando Britannia, unde exciderit! utinam restitui sibi Lutheranae id est Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ lumen pateretur! Quod si vero in caligine sua perseverare mavult, optandum est, ne quis Lutheranam lucem cum Anglicanis tenebris consociare irrito impio & plane pestifero conatu unquam aggrediatur.

S. D. G.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

S. B. G.



1874
187

